



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

27. An qui incidit in excommunicationem, si procuret abortum per alios; & quid de consulentibus, &c.? Et quid de operantibus abortum ope, favore, potione, vel alio cuiusvis generis medicamento; aut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

nus, cui ego libenter adhæreo; unde puto utramque sententiam esse probabilem, & idem Machad. de p. r. f. Conf. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. docum. 10. num. 2. me citato sic ait: [Quæda dudofo si el que aconsejo à alguna muger, ô le dio remedio para que abortasse la criatura ya animada, y despues arrepentido del pecado la disuadio todo lo possible, para que no executasse el aborto; y con todo ello no lo pudo conseguir: incurra en esta irregularidad. Navarro. y otros fienten que si; fundados, en que no basta revocar el consejo. Si in effectu mors ex dato consilio sequatur. La contraria opinio dñende Henriquez, Villalob. y otros; fundados en que el consejo no es meramente causa natural, que ponga necesidad física, sino solamente se tiene por causa moral; y por esto si el consejero hizo lo que moralmente pudo, y devia hazer para impedir el efecto es visto aver quitado la causa; y assi nose le imputara el homicidio.] Vide etiam Casp. in Cur. Theol. tom. 2. disp. 1. sect. 9. num. 71. qui positam sententiam adducens, putat consulentem in casu de quo loquitur nullam incurere irregularitatem; & me etiam citato idem docet novissimè Mazuch. de cas. reserv. disputat. 2. cap. 18. quest. 2. num. 42. quibus adde Tannerum in 2. 2. disputat. 4. quest. 6. dub. 4. num. 394.

RESOL. XXVI.

An qui procuravit abortum fœtus animati, si effectus non sequatur, incidat in excommunicationem?
Et an saltem in casum Episcopalem reservatum incidere in supradicto casu?
Et quid de Regularibus? Ex p. 7. tr. 5. Res. 9.

1. **V**idetur affirmativè respondendum; quia in reservatione Episcoporum casus contra procurantes abortum includuntur etiam illi, qui abortum procurant non secuto effectu, ut docet Bellocchius de cas. reserv. par. 2. q. 8. n. 69. Zecchius de cas. reserv. in cas. 9. Bonacina de res. disp. 2. quest. ult. punct. 7. n. 6. & alij, asserentes incurri reservationem, etiam si effectus non sequatur, v. g. fœmina sumpsit potionem, ex qua putabat abortum secuturum. Medicus medicinam porrexit, & venam in pede secari fecit, ut mulier abortiretur, & tamen non est abortita: adhuc dico reservationem incurri.

2. Sed ego puto in excommunicationem Bullæ Sixti V. non incurere procurantes abortum effectu non secuto: Et ratio est, quia dictus Pontifex in sua Bulla, ut lata excommunicatio incuratur, requirit effectum, ut patet ex illis verbis. Inde, ut reipia abortus secutus fuerit. Et ita docet Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 20. n. 6. Adde quod ego etiam contra citatos Doctores probabiliter teneo, non incidere in casum Episcopalem procurantes abortum, si effectus non sequatur, quia reservatio comprehendit tantum actum externum cum effectu, & ita ex Finellio. & Chapeavilla docet Mazuchel. tract. de cas. reserv. disput. 2. cap. 9. q. 2. num. 27.

3. Vnde nostram sententiam docet etiam Naldus in sum. ver. Abortus, n. 5. ubi sic ait: Abortus censura non incurritur, nisi effectu secuto, quod etiam generaliter in omnibus censuris admittunt omnes; specialiter autem hoc aperte innuunt verba hujus Constitutionis Sixtinæ in secunda ejus parte, ibi: & reipia abortus secutus fuerit, & ad tale facinus commitendum, &c. liquet autem verba regulariter intelligenda esse cum effectu ipso, quem propriè significant. Vnde exhibens potionem fœminæ, quæ probatur gravida,

quæ tamen postea juxta consuetudinem mulierum, fecit ventum, non ligatur hac censura; quavis ex nulla ratione contrarium asseruerit Graff. lib. 2. decis. aur. 63. n. 33. licet secus sit quoad casus reservatos inter regulares per expressam in hoc declarationem; ut infra Religiosi in fin. sub num. 43. vers. Procuratio auxil. ubi effectus etiam non secuto incurritur reservatio ista. Ita Naldus.

RESOL. XXVII.

An quid incidit in excommunicationem, si procurat abortum per alios: & quod de consulentibus, &c?
Et quid de operantibus ab abortum ope, favore, potionem, vel alio cujusvis generis medicamento, aut scribendo litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis?

Et notatur in dictam excommunicationem non incurere supradictos consulentes, auxiliares, &c. effectu non secuto.

Idem dicendum est de irregularitate, & penis dictarum Bullarum. Ex p. 7. tr. 5. Res. 10.

1. **R**espondeo affirmativè, quia Sixtus V. in Bulla asserit. Qui de cætero per se, aut per interpositas personas, &c. Et ita docet Bonacina tom. 3. disp. 2. quest. 2. punct. 10. num. 5. & Bordonus in Consil. regul. resol. 45. quest. 9. num. 9. ubi sic ait. An mandans comprehendatur in hoc casu? Negativa videtur, quia regulare est non subintelligi in pœnibus, neque reservatione nisi exprimat, ex probatis resolut. 38. quest. 15. hic autem non exprimitur. Respondetur: Mandans comprehenditur sub illo verbo, Procuratio, qui enim mandat faciendum abortum, sine dubio dicitur hoc procurare, ideo non excusatur à reservatione. Et id est conforme Bullæ Sixti V. illis verbis: Qui de cætero per se, ecce immediata procuratio sine mandato, aut interpositas personas, ecce procurationem per mandatum; mandans enim dicitur agere per interpositam personam. Ita ille.

2. Notandum est etiam hic, in dictam excommunicationem incurere scienter cooperantes ad abortum ope, consilio, favore, potionem, vel alio cujusvis generis medicamento, aut juvare scribendo litteras privatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut signis; sic enim expressè dicitur Constitutione Sixti V. Nota tamen supradictos consulentes, auxiliares, &c. non incurere in excommunicationem effectu non secuto: cum enim ut dictum est in super. Resolutione ob actionem principaliter prohibitam hæc censura non incuratur ante secutum effectum, multò minus incurri debet ob accessorium, quæ minus principaliter, & secundariò prohibetur.

3. Vnde Novarius in summa Bull. tom. 2. tit. de Abor. numero 22. ita ait: Declaratur secundò, quod dem. non incurat pœnas dictarum Bullarum dans consilium, vel medicinam abortui fœtus animati, etiam si remedium fuisset applicatum, si tamen effectus non fuisset subsecutus, nec erit irregularis, quoniam verba legis accipienda sunt cum effectu secuto, quem legislator punire intendit, ut ait Navarr. conf. 60. de sentent. excomm. & propterea conatus solus ad culpam non meretur pœnam ordinariam legis effectu non secuto.